



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Diatribai De Primis Veteris Frisiae Apostolis, Sive
Dissertationes, quibus eoru[m] anni, actus, res,
personae, loca, tempora in eorundem actis occurrentia,
discutiuntur, illustrantur, erroresque ab ...**

Bosschaerts, Willibrord

Mechliniae, 1650

29. Quot fuerint socij S. Willibrordi?

urn:nbn:de:hbz:466:1-10958

Obtenta licentia prædicandi à Pipino, & data missione in citeriorem Frisiam, S. Willibrordus Romam pergīt ad Sergium Pontificem. Sed antequam de eius itione ad Urbem agamus, dicenda prius multa de sociis S. Willibrordi, quot & quinā fuerint: de Pipinis eorumque missiōibus, tam ad huius historiæ quā tractamus cognitionem & intelligentiam, quam aliarum istius temporis perquam necessaria, quorum ignorantia mirum Chaos in historias est aduectum.

DISSERTATIO XXIX.

Quot fuerint socii S. Willibrordi?

Alij S. Willibrordum cum duodecim Socijs aduenientem proponunt, ac si præter illum duodecim alij adfuerint. Ita N. Harpsfeldius, Fasciculus temporum, Trithemius in compendio Regum Francorum. Alij cum undecim, & duodecim sint ipsomet S. Willibrordo adnumerato: quæ supputatio est communis & longè verior. Est Marcellini apud Surium 1. Martij, Leydensis, Hedæ, Molani, Miræi, Haræi, Hamconij, Farmerij lib. 3. cap. 6. passimque tenetur, & convincit Beda loquens de missis à Sancto Egberto: *qui cum, inquit, illò (in Frisiam) aduenissent, erant enim numero duodecim, diuerterunt ad Pipinum &c.* significans tam Willibrordum, quam alios collectim sumptos, fuisse numero duodecim, nec Willibrordum à duodenario numero segregat. Existimo illos qui eum cum duodecim in Frisiam nauigantem referunt, duodenario numero ipsum includere licet duriore modo loquendi. Sic Harpsfeldius postquam dixisset S. Willibrordum cum duodecim socijs Frisiam perrexisse, undecim tamen solùm præter Willibror-

104 DE PRIMIS VETERIS FRISIÆ APOSTOLIS
brordum enumerat. Quod ad Leydensem attinet qui ab
alijs videtur discrepare, obseruandum illum non tam recē-
sere eos, qui cum Willibrordo ex Hibernia soluerunt, quā
aliquos eius Principales cooperatores, quales potuerunt a-
liqui postmodum superuenisse.

Petes. Quinam sint illi duodecim quos S. Egbertus Fri-
sij erudiendis emisit? Res. communiter enumerantur
hi: Willibrordus, Swibertus, Wigbertus, Acca, Wilibal-
dus, Winibaldus, duo Ewaldi, Werenfridus, Marcellinus,
Lebuius Presbyter & Adelbertus Leuita. Aliqui omif-
so aliquo nominatorum apponunt Ingelmundum aut
Werwinum vt quidam Cornelius Hornanus Canonicus
Regularis in mappa historiali edita Rheno-traiecti anno
1537.

Enumerationes hæ, quarum prior sumpta est ex Pseudo-
Marcellino, qui sub nomine S. Marcellini vitam S. Swi-
berti tradit, turgent difficultatibus quas in particulari iam
cogitamus discutere. Willibrordum & Swibertum Egberti
fuisse emissarios omnino est certum, adtestante Beda & du-
bitare nefas. Adelbertum & Werenfridum conuauigasse,
non suppetit ratio cur dubitemus. De ceteris fit

DISSERTATIO XXX.

An S. Wicbertus cum Willibrordo transfretauerit in
Frisiam.



Sferitur à multis in sodalitiis eiusdem
aduenientis fuisse Wicbertum & quidē
eum qui per oraculū diuinum, deten-
to domi S. Egberto, audaciori animo in
Frisiam uelificauit, ac biennio in steri-
li prædicatione consumpto in Hiber-
niam redijt, narrante Beda lib. 5. cap.
10. Eundem Martyrio sublatum à Rad-
bodo